



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Septima Conclusio. Quando quis in morbis & infirmitatibus curandis vtitur modis & medicamentis, quæ medicorum ars ignorat ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

structa sit, non poterit remedium adferre. Ex quo fundamento in prima parte superioris tractatus intulimus, non posse diabolum omnem morbum, maximè senectutis, curare. Hinc sæpissimè audimus, quando incantatores & malefici interrogantur & consuluntur de morbis illatis (quod nullo modo fieri deberet) eis quandoq; respondetur, quod nimis tardè veniant.

Sexta Conclusio. Maleficus aliquando curare potest morbos, quos ars medicorum aut ignorat, aut curare non valet.

QVIA Dæmon, qui ex pacto cum malefico concurrit, maioris est scientiæ & potentiæ naturalis, quàm præstantissimus & expertissimus quicunq; Medicus.

Septima Conclusio. Quando quis in morbis & infirmitatibus curandis utitur modis & medicamentis, quæ medicorum ars ignorat: aut rebus, quæ secundum physicam, & naturalem philosophiam nullum habent naturalem ordinem ad effectum producendum, ratio curationis est suspecta, & sapit superstitionem & maleficium.

QVIA naturali causæ finesse debet aliqua vis insita naturalis, in ordine ad productionem.

oo

ductio.

ductionem effectus: & si hæc in curationibus non inueniatur, necesse est effectus expectetur à Dæmone ex pacto. Hinc infero, vt plurimum remedia vetularum aut virorum, aut (quod magis detestandum) quandoq; sacerdotum, esse valde suspecta. Cùm enim sint indocti in medicina, & res naturales ignorent, contendunt non rarò sanare morbos grauissimos & inueteratos, de quibus medici, qui suam ætatem in studijs consumpserunt, desperant, & non rarò media adhibent huiusmodi homines superstitiosi, in quibus nulla est similitudo causæ & effectus.

QVAESTIO VII.

Quomodo clauis, scopuli, panni, setæ, ferramenta & similia dura quandoque in corporibus hominum inueniantur, & quæ ratione ingerantur aut eijciantur: An huiusmodi tribuenda maleficijs, & diabolice arti?

CIRCA hanc quæstionem difficilem diuersi diuersa sentiunt. Paulus Grillandus lib. 2. de Sortilegijs q. 3. numero 27. duas refert opiniones. Aliàs vidi, dicit, sæpè numero, quod maleficio infecti, vbi liberationis remedium vsurpârunt, frequenter ex ore eiuomerent, vel per secessum exonerarent acus, capil-